



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Philippo Illvstri Regi Franciae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

# Romani Pontificis Lib. I.

73

M A T T H E O A B B A T I ,  
& Conventui S. Spiritus de Arenalisi.

Epiſt. 118.

**S**Acroſancta Rom. Eccl. &c. usque ad verbum illud ſufcipimus. Ad indicium autem hujus noſtræ protectionis paginæ nobis noſtrisque ſuccessoribus unum Bizantium annis ſingulis exolve- tis. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum vi. Nonas Maij.

O X O M E N S I , O S C E N S I ,  
& Dertufen. Epifcopis.

Epiſt. 119.  
Vi caſtali Ar-  
chiepifcopi &  
Capituli  
Terraconensis  
contra mo-  
naſterium Rivi-  
polleſe deter-  
minent.

**V**eniens olim ad apostolicam ſedem Vvilielmus monachus Rivipollenſis, cauſam quæ inter venerabiliem fratrem noſtrum Archiepifcopum & dilec- toſis filios Canonicos Terraconen. ex una parte, & moaſterium Rivipollen. ex alia, ſuper villa & honore de Centumcellis vertebarū, ad quodam obtinuit judices delegari. Verū quoniam ipſe in falſitate Bullæ noſtræ fuit publicè depre- hensus, & ſuſpectus habetur ne præter literas quas à nobis obtinuit, aliquas alias ſub falſa Bulla in Hispaniam deſtinat; fraternitati veſtra per apost. ſcri- pta mandamus, quatenus nullis literis ſuper hoc impetratis obſtantibus, & re- vocato quicquid earum auctoritate eft attentatum, audiatis cauſam, & eam fine debito terminetis, facientes quod ſta- tueritis per cenſuram ecclie, inviolabiliter obſervari; audituri nihilominus cauſam quæ inter Terraconen. Eccl. & moaſterium Rivipoll. ſuper caſtro de Analech vertitur, & fine canonico deci- furi. Datum Romæ apud ſanctum Pe- trum ii. Nonas Maij.

P H I L I P P O I L L V S T R I  
Regi Francie.

Epiſt. 120.  
De confor-  
matione ſe-  
deris  
iter ipſum  
Regem & Co-  
moitem Fian-  
diꝝ.

**L**icet ex injuncto nobis apostolatus officio cunctorum teneamur pro- videſre quieti & pacem inter ſingulos exoptare, quietem tuam & regni tui tantò ſpecialius conservare volumus & debemus, & inter magnificientiam re- giam & homines ſuos firmæ pacis exiſte- re federa ſtudioſius affectamus, quanto perſonam tuam ſpecialiori diligimus in Domino caritate, & pacem tuam & re- gni tui ad Ecclesiæ commodum cognof- cimus efficacius redundant. Eapropter, cariſſ. in Christo fili, tuis justis precibus inclinati, & petitionibus tuis, quantum cum Deo poſſumus, gratum impertien-

tes afflentum, felicis mem. Celeſtini Pa- pæ prædeceſſoris noſtri veſtigiis inha- rentes, compositionem factam inter ſe- renitatem tuam & dilectum filium no- ſtrum Balduinum Comitem Flandriæ pro pace perpetuò ſervanda, ſicut ratio- nabiliter facta eſt coram viris religioſis & prudentibus & ſcripto authenticō ro- borata, & firmata pluribus juramentis, & ab utraque parte recepta, auctoritate apost. conſirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad majorem autem ipsius facti notitiam, authenticum prædicti Comitis de verbo ad verbum præſentibus literis apponi fecimus, & transcribi: cujus tenor talis eſt. Ego

**BALDVINVS Comes Fland. & Hainen.** Aſta hec apud Com-  
notum facio universis præſentibus pari- pendium an-  
ter & futuris quod ego conſessi & juravi no 1196, ut parat ex Ri-  
Domino meo ligio Philippo illuſtri Re- gordo.

gi Franciæ, quod omnibus diebus vitæ meæ bona fide & fine ficitione iplum ju- vabo contra omnes homines qui poſſunt vivere & mori, præterquam de terra Hainen. contra Dominum meum Epi- scopum Leodicensem, ſi ipſe vellet in- quietare Regem Franciæ, vel Rex Fran- ciæ eum, ſive contra Dominum Impera- torem de eadem terra, neque Regi Fran- ciæ de hujusmodi auxilio faciendo un- quam deero, quamdiu idem Dominus meus Rex Franciæ reſtituſinem mihi fi- cere voluerit in curia ſua, & me facere judicari per eos qui me judicare debent in curia Regis Franciæ & hoc faciam Do- mino meo Regi Franciæ aſſecurari per juramenta viginti hominum meorum de Hainen. quos elegerit Rex Franciæ in hunc modum. Ipli jurabunt, & literas ſuas patentes Regi Franciæ inde dabunt, quod mihi conſulent, & volement, & effi- ciant ad poſſe ſuum bona fide, ut hanc conventionem teneam Domino Regi Franciæ integrè, & quod ſi ab hoc refi- liero, in captionem Domini Regis Fran- ciæ ibunt Parisius in bra quadrageſinta dies postquam id ſciverint vel per ſe vel per ſubmonitionem Regis Franciæ, niſi in- bra eosdem quadrageſinta dies Regi Fran- ciæ emendatum fuerit; nec de captione Regis Franciæ exibunt, donec illud ſit emendatum. & quotiescumque me con- tinget ab hac conventione refiſire, toties Parisius in captione Regis Franciæ ire & captionem ei tenere tenebuntur ad eundem modum qui prædictus eſt. Ean- dem ſecuritatem faciam fieri Domino

K

Regi Franciæ contra omnes homines  
à quadraginta homin. de terra mea  
Fland. quam modo teneo, quos ipse Rex  
Franciæ elegerit. Et quām cito ad me ve-  
nerit per jus meum terra quam Comitis-  
sa uxor quondam avunculi mei Comitis  
Fland. Philippi tenet nomine dotalitij,  
à quadraginta hominum meorum illius  
terrae, quos Rex Franciæ elegerit, ean-  
dem securitatem fieri & præstari faciam  
Domino meo Regi Franciæ. Et quicun-  
que morientur ex his qui hanc fecerint  
Regi Franciæ securitatem, heredes eo-  
rum eandem securitatem præstare Regi  
Franciæ faciam. Quicunque hominum  
meorum de utraque terra prædicta hu-  
jusmodi securitatem Domino Regi Franciæ  
facere noluerint, terras suas eis au-  
feram, nec reddam, donec Regi Franciæ  
diectam fecerint securitatem. Et interim  
alios ad electionem Regis Franciæ fa-  
ciam Regi facere illam securitatem. Ce-  
terū Dominum Remen. Archiepiscopum,  
& Atrebaten. & Cameracen. &  
Tornacen. & Morinen. Episcopos roga-  
bo, & bona fide requiram, quod quo-  
tiescumque me à prædictis conventioni-  
bus resilire contigerit, tories me excom-  
municent, & terram meam totam inter-  
dicto supponant, non obstante aliqua  
appellatione, donec id emendatum sit  
Regi Franciæ. Et literas meas patentes  
tam Archiepiscopo quām diëis Episco-  
pis dabo continentes me his concessissè  
quod hanc justitiam possint in me exer-  
cere, non obstante appellatione, si à di-  
ctis conventionibus resiliero: & efficiam  
ad posse meum, quod ipsi literas suas  
parentes super hoc dabunt Regi Franciæ.  
Ita etiam quod quicunque succeſſe-  
rint Remen. Archiepiscopo & memora-  
tis Episcopis, ad idem faciendum super  
me & super terram meam Domino Regi  
Franciæ tenebuntur. Dominum Papam  
etiam & alios Summos Pontifices Domini  
ni Papæ successores rogabo per literas  
meas patentes, quas tradam Regi Franciæ,  
quatenus Domino Regi Franciæ  
suas super hoc confirmationis dent lite-  
ras, & justitia in me & terram meam  
exercenda, si ab his resiliero. Sciendum  
præterea quod Domino meo Philippo  
Regi Franciæ & heredi suo quito feu-  
dum Bolen, & feudum Gumar. & feu-  
dum Osiaci, si quid in illis feidis habeo.  
Quæ omnia juravi, & sigillo meo rata  
firmavi. ] Nulli ergo &c. Datum Romæ  
apud S. Petrum.

Scriptum est autem super hoc Vvillielmo  
Remen. Archiepiscopo & Suffraganeis ejus,  
ut apost. freti autoritate dictam compositio-  
nem faciant, sublato cuiuslibet contradic-  
tions & appellationis obstaculo, per excommu-  
nicationis in personas & interdicti senten-  
tiam in terras, inviolabiliter obser-  
vari.

CISTERCIEN. ET CLAREVALL.  
Abbatibus.

**D**eferendum Regi quasi præcellen-  
ti cùm in generali testetur Apo-  
stolus, illi deferre specialiter volumus &  
deferri desideramus ab aliis quem certis  
novimus argumentis & fidei catholi-  
cæ integritate præcellere, & inter cete-  
ros Reges in devotione Rom. Ecclesia  
proposito persistere firmiori. Hinc est  
quod nos attendantes fidem & devotio-  
nem quam carissimus in Christo filius  
noster Philippus Rex Francorum illu-  
stris, non solum circa Rom. Ecclesiam,  
verum etiam circa Ecclesias universas,  
quasi ex liberalitate innata creditur ex-  
hibere, de venerabilis fratri nostri Ro-  
thomagen. Archiepiscopi discretione  
miramur; quia (sicut audivimus) cùm  
idem Rex super facto Andeliaci ab ip-  
so Archiepiscopo tanquam à suspecto  
judice appellarit, ne aliquid posset  
in ejus præjudicium generari, nihilomi-  
nis idem Archiepiscopus ipsum infestat,  
ejusque terram in sua provincia  
constitutam ecclesiastico minatur sup-  
ponere interdicto. Vnde nos Cano-  
num statuta sequentes, si quid post ap-  
pellationem illam rationabiliter inter-  
positam in ejus præjudicium fuerit at-  
tentatum, irritum decernentes penitus  
& inane, præfato Archiepiscopo man-  
davimus, districtiis inhibentes, ne præ-  
dictum Regem de cetero propter hoc  
molestare aut in terram ejus sententiam  
promulgare presumat, quamdiu coram  
vobis, qui neutri partium merito debetis  
esse suspedi, parere voluerit aequitati.  
Quocirca discretioni vestrae per aposto-  
lica scripta mandamus, quatenus si spe-  
dictus Archiepiscopus post appella-  
tionem illam, eodem Rege taliter juri  
stare parato, in prædictam terram ali-  
quam in gravamen ipsius duxerit senten-  
tiæ promulgare, vos nostra freti auctorita-  
te illam denuncietis sublato appellationis  
obstaculo non tenere. Ne vero propter

Epiſt. 131.  
Vt per Archie-  
piscopum Ro-  
thomagenum,  
post interpolati-  
onem à Philippo  
Gallorum Re-  
ge appella-  
tionem, atten-  
tare revocent,

Vide ſuprà qd.  
108.